Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8166
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

multo mihi facilius mori fuisset, quam diutius
apud vos manere, et veræ cognoscendæ religio-
nis causa ad illum non profectsi,
Nam adeo anxijs de vera Christi ecclesia cogi-
tationibus iactabar, et perpetuis animi stimulis
concitabar, vt nullo certo loco sine certa religione
consistere, ac viuere posse viderer. Verum cum
homine, ad quem tanto religionis studio rapiebar,
Pragæ conuenissem, et aliquod apud ipsum dies
commoratus essem; deceptum me uidi, penitusq; ex
ex eo perspexi, quod adhuc Viennæ ille mecum
in vestro Collegio conuersans, præclarum se mundi
huius, et omnium, quæ sunt in mundo, contemp-
torem ostendisset, et diuinas, nescio quas, virtutes,
toti orbi christiano profuturas iactasset: iam
verò eundem cernerem totum vanum, et
auricum, diuitiarum et lucri cupidum; mulierum
amantem, et futilissima quæq; mundi gloriæ
simulachra consectantem.
Hic ego statim meum à vobis discessum deplorare,
quasiq; ductis post tergum oculis viso JESV.
à me relicto grauiter suspirare, atq; sic mecum
loqui cœpi: Quid nunc miser tantopere de-
ceptus ages? Ad hunc enim tu hominem tanq; ad
diuinum quendam totius mundi futurum re
formatore,